

Archives d'Anjou. Recueil de documents et mémoires inédits sur cette province publié sous les auspices du Conseil général de Maine et Loire, Cartae de Relliaco, Nr. 3

Notum sit omnibus sanctae Dei ecclesiae cultoribus, tam presentibus quam futuris, quoniam ego Gausfridus de Reliaco castro, seculari militiae mancipatus, adii presentiam domni Eusebii, Andecavensis ecclesiae episcopi, querimoniam faciens apud illum de clericis, sub titulo canonicorum, deputatis ad servitium ecclesiae sitae infra munitionem supradicti castri, in honorem sanctae Dei genitricis et sancti Lupi antistitis consecratae, qui opus domini faciebant negligenter. A quo praedicto pontifice talem accepi consilium ut si quos, honestioris et melioris vitae, clericos ac monachos invenirem, ibi ad exhibendum omnipotenti Deo sedulum officium in loco illorum constituerem. Accepta itaque hujus modi licentia ab ipso pontifice, animo meo tale insedit consilium, afflatu boni spiritus, ut tales eligerem viros sub habitu monasticae religionis ad opus domini faciendum in predicta aecclesia, qui, ut liberius expediciusque Deo servirent, propriis abrenunciantes facultatibus, voluntariam subiere paupertatem. Igitur voluntate et assensu meae conjugis, nomine Adoisae, nec non et meorum fidelium qui sanioris sunt consilii, fratribus his qui in Turonensi coenobio, quod Majus Monasterium dicitur, omnipotenti Deo sub Bartholomeo abbate famulantur, supradictam ecclesiam, cum omnibus sibi subjectis rebus, per manum ipsius abbatis et concedens annuo, et annuens concedo jure perpetuo possidendam, ad usum videlicet monachorum ibidem Christo Deo famulantium; facta donatione omnium rerum que pertinent ad ipsam ecclesiam, sicut continetur in veteri scribto quod roboratum est auctoritate predicti pontificis Eusebii et Gausfridi comitis filii Fulconis, per deprecationem praefati Airardi qui jam sepepredictam ecclesiam muneribus suae beneficentiae magnifice donavit. Additur etiam his quod, postquam veni in istum honorem, quartam de duobus campis, quae solvebat per siugulos annos V. solidos censualiter Gausfrido clerico fratri Adalardi de Castello Gunterii, feci liberam et quietam ab hoc debito ad opus sancti Lupi; addita quoque huic dono medietate vicariae quam habebam in terra ipsius sancti; nec non et decimam Fulcherii Gandelberti, quae est sita apud Parciacum, feci quietam ab omni interpellatione calumpniae. Facta sunt haec dona apud castrum Reliacum, audientibus et videntibus his, pro testibus, quorum nomina subscribuntur. Acta sunt haec omnibus qui praesentes erant gaudentibus magis que júbilo quam voce plaudentibus: feliciter, feliciter, feliciter !!! signum Gausfridi Papa Bovis, S. uxoris Adoisae, S. Radulfi Drusii, S. Otgerii, S. Johannis de Corcellis, S. Wauterii vicarii, S. Rotberti Bodardi, S. Garini de Rivo Calgato, S. Normanni, S. Hildini, S. Drogonis fratris sui, S. Beringerii nepotis Geraldi de Ulmis, S. Mauricii, S. Rotberti Abelini, S. Rainardi de Gisois, S. Fulcherii filii Gandelberti, S. Erberti Salernae, S. Rainardi de Burgolio, S. Vitalis Bonelli, S. Raginaldi sacerdotis, S. Rainaldi Aiz, S. Radulfi de Castello, S. Mainardi vicarii.